

I
AD LECTOREM.

BERNARDI G. PENO-
TI A PORTU S. MARIE AQUI-
TAN. PRAEFATIO, IN QUA OMNEM TO-
tius artis potentiam & efficaciam in duo-
bus consistere verbis ostendit.

NON est (amice Lector) quod refricem diu
agitatas illas quaestiones, quibus quaeritur:
An Ars transmutationum sit vera: cum
anno proxime praeterito, id gravissimorum
virorum testimoniis, & auctoritatibus, satis superq;
probaverim, quum huius argumenti plures sint libri e-
diti. Lectores itaq; ad eam remitto praefationem, quam
non ita pridem, ei Dialogo, qui est inter Naturam &
filium Philosophiae praefixi. Ridiculum vero foret, si in
praesentia repetitionibus uterer: siquidem Auctor libri
huius CLAVEUS adversus THOMAM Erastum
disputans, eiusq; argumenta omnia solide refutans, fir-
missimis tum rationibus, tum demonstrationibus, (ad-
de & certis experimentis) Artem veram, certam &
facilem esse ostendit, & confirmat. Quapropter qui au-
toritatibus & exemplis veritatem Artis tibi probari
vis (Lector) huius CLAVEI librum percurre. Sed
antequam operari incipias, rerum naturalium causas
prudenter consilio perpende, aut noli rem aggredi. In-
cauti prima fronte hunc librum intuentes, implica-
buntur. Tu (amice Lector) magno cum iudicio, lege,
relege, ora, labora, & Deus mysteriorum auctor tui mi-
serebitur. Hoc unum te latere nolo, omnem potentiam
& totius artis efficaciam, in duobus consistere verbis,
nimirum, SOLVE & COAGULA.